

post Thucydidem VI, 38, 1 et Andocidem de mysteriis § 54 et de pace 35 frequentauerunt oratores (Lysias XVI, 11. XXII, 14. Isocrates V, 75. XV, 136. Demosthenes III, 49. VI, 14. XXI, 198). Itaque *λογοποιίαν* Theophrastus characterum c. 8 interpretatur *σύνθεσιν ψευδῶν λόγων καὶ πράξεων*: quo eodem sensu praeter *λογοποιεῖν* uerbum etiam *λογοποιός* substantiuum adhibuit.

*Λογοποιός* igitur uocis uariis mansit usus: *λογογράφος* et *λογογραφέας* mature ad solos oratores reuocari coepta sunt. Unus inter Atticos qui aetatem tulerunt Thucydides sicut historiam suam *λόγου* nomine appellauit (I, 97 *τὴν ἐκβολὴν τοῦ λόγου ἐποιησάμην διὰ τούδε*), ita *λογογράφους* dixit historicos. Cuius exemplum secutus est Polybius, ut posteriores omittam, VII, 7, 1 *τινὲς τῶν λογογράφων τῶν ὑπὲρ τῆς καταστροφῆς τοῦ Ἰερωνύμου γεγραφότων*. Uniuerse autem qui *λογογράφους* intellexerit, inter prosae orationis scriptores neminem reperio ante Dionysium Halicarnassensem de compositione uerborum c. 16 *καὶ αὐτοὶ τε δὴ κατασκευάζουσιν οἱ ποιηταὶ καὶ λογογράφοι πρὸς χρῆμα-δρῶντος οἰκεία καὶ δηλωτικὰ τῶν ὑποκειμένων τὰ ὀνόματα ὡσπερ ἔφη*, quo de loco dubitari nequit propter alterum ad quem relegat c. 15 *οἱ χαριέστατοι ποιητῶν καὶ συγγραφέων τὰ μὲν αὐτοὶ τε κατασκευάζουσιν ὀνόματα κτλ.* Et *συγγραφεύς* quidem uocem eadem uel iam Plato usurpasse uidetur Phaedri p. 235 C *δῆλον δὲ ὅτι τινῶν ἀκήκοα (βέλτερον) ἢ που Σαπφῶς τῆς καλῆς ἢ Ἀνακρέοντος τοῦ σοφοῦ ἢ καὶ συγγραφέων τινῶν*: quamquam frequentiore apud hunc esse *ποιητῶν* et *ιδιωτῶν* oppositionem demonstrant quae ad Symposii p. 178 B uerba infra exscribenda collegerunt Rueckertus et Hugius. Sed Thucydides cum non potuerit nisi de antiquioribus historiarum scriptoribus loqui, non tam ineptum quam Curtio uidebatur iudicabimus qui post Creuzerum inualuit *λογογράφος* uocis usum, quamuis eo sane ab illius exemplo discedat, quod is Herodotum logographorum numero includit, recentiores excludere consueuimus.

*λογογράφος* uocis usum, quamuis eo sane ab illius exemplo discedat, quod is Herodotum logographorum numero includit, recentiores excludere consueuimus.